



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

25. S. Maria Magdalena de Pazzis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

## III.

**N**Omen Jesu S. Bernardinus semper in ore, & in pectore gerebat, suoque vitæ exemplô collapsam pietatem, morésque restituit. Chare! Quæ verba in ore? Quæ opera in corde? Utinam S. Bernardini! Si non sunt; heu! Peccata sunt!

*Instructio meritoria.*

Hodie Officium de dulcissimo Nomine Jesu persolvamus magnâ devotione, & filiali contestatione, nos aliud posthac cogitare, aut loqui non velle, nisi de Jesu, Maria, & Sanctis Dei. Hi si non sapiant, vita nostra in periculo est. Stomachus nauseabundus minatur interitum. Quid mens spiritu, & amore cœlestium vacua?

Festum S. Mariæ Magdalenæ  
de Pazzis ex Ordine Beatissimæ Virginis de Carmelo.

## EXHORTATIUNCULA I.

**V**Ix noverat Deum, jam amavit, & unicè dilexit. Hinc frequentissima in Ecclesia coram Augustissimo Altaris

Q

taris

taris Sacramento. Huc! Huc! O dilecte! si nostra afflicta est anima! *Accedite cum fide, tremore, & dilectione.* Monet S. Augustinus.

*Instructio meritoria.*

Visitemus hodie latentem in tabernaculo amoris sponsum nostrum Eucharisticum, & ut nobis amanter tribuat tres virtutes theologicas, *vivam fidem, spem firmam, & charitatem ardentissimam,* recitemus Rythmum S. Thomæ Aquinatis: *Adoro te devotè latens Deitas, quæ sub his figuris verè latitas &c.* Jesus mansit nobiscum, ut nobis præsto esset. Audiamus vocem illius, & audiet nostram. *Non audivimus, ait Salvianus, non audimur; non respeximus, non respicimur.*

II.

**A**Mor amantem probat, & S. Magdalenam gravis derelictio, ariditas, & in spiritu desolatio summa. Quid illa? Contristari? Irasci? Turbari? non ica. Sed ardentem suspirare: *Pati, Domine, non mori.* Hic utique confundimur? Dilecte fili! Sit afflictio nobis imposte-  
rum

rum multorum meritorum occasio.  
*Non contristabit justum, quidquid ei ac-*  
*ciderit.* Prov. 12. Nam diligentibus  
 Deum omnia cooperantur in bonum.

*Instructio meritoria.*

Ergò ad desolationes non terreamur,  
 sed gratias agamus cum desiderio : *Pati*  
*Domine ! non mori !* Et ut compensemus  
 omnes indignationes, murmuraciones,  
 & inordinatas tristitias, in honorem sep-  
 tem Dolorum Beatissimæ Virginis per-  
 solvamus 7. Pater & Ave cum *Stabat*  
*Mater.* Maria plorat : lacrymatur :  
 Et rideat filius ?

III.

**I**nfidelium, & peccatorum ruinam, ac  
 interitum adeò amarè desolebat hæc  
 Sancta Virgo lacrymè, ut & sese Deo  
 sisteret paratissimam ad quævis pro illo-  
 rum certa salute subeunda corpòris tor-  
 menta. Fili ! Ubi zelus ? Ubi amor ?  
 Ubi compassio nostra ergà afflictas, &  
 vix non æternum perituras animas. En !  
 Jesus clamat de Cruce : Misere mini !

*Instructio meritoria.*

Igitur nulla jam ampliùs transeat dies,

Q 2

ubi

ubi saltem non unam decadem ex S. Rosario pro conversione eorum applicaverimus. O quantum hoc erit gaudium in cœlo. Haud dubiè (sunt terribilia S. Gregorii verba) à nobis repetet Deus rationem animæ fratris nostri, si, cum possumus ejus procurare salutem, neglexerimus.

Festum S. Philippi Nerii Congregationis Patrum de Oratorio Jesu Instititoris Celeberrimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**O** Quantus, & qualis hic vir fuit in abstinentia, vigiliis, & orationibus! Quid mirum, quòd innumeras penè lucratus sit animas Christo. Dilecte! Quando nos ita vivere incipiemus! Tempus est, nos tandem de somno sensualitatis nostræ surgere, & solùm equærere, quæ Jesu, & animarum sunt. Quid agendum?

*Instructio meritoria.*

Pro pietate solidè acquirenda, & conversione multarum gentium per septem dies quotidie aliquem ex pœnitenti-

bu